



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Reverendissimi Ac Illustrissimi D.D. Antonii Godeau Episcopi Venciensis Viri Celeberrimi Theologia Moralis**

Ex Purissimis Sacrae Scripturae, Patrum Ac Conciliorum Fontibus Derivata,  
Notis Theologicis Illustrata, Duasque In Partes Divisa

Complectens Tractatus I. De Fontibus Doctrinae moralis. II. De praecipuis  
ejusdem Fundamentis. III. De Peccatis. IV. De Legibus. V. De summario  
dilectionis Praecepto. VI. De primo decalogi Praecepto. VII. De secundi  
decalogi Praecepto

**Godeau, Antoine**

**Augustae Vindelicorum, 1774**

Caput VIII. Canonicae superstitionum poenae.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53562](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53562)



Canonice Superstitiosorum pœnæ. 499

Antequam hanc materiam absolvam, recentiorum aliquot Casuistarum est absurda opinio perpendenda, qui docent Astrologum pecuniam, quam, ut vaticinaretur, accepit, teneri restituere, si astra consuluit; non vero ad restitutionem teneri, si dæmonem consulat, quia hæc consultatio studium & laborem postulat. Astrorum contemplatio est innocens, quamvis ad futura investiganda non proffit; ast invocatio dæmonis semper est illicita, & propterea dæmonis invocandi labor justus nequit esse titulus pactum pretium exigendi. Hoc pacto in hominum commercium ars magica, tamquam ars licita ad caprandum lucrum, importatur; quod omnino est dictu nefas.

CAPUT VIII.

Canonice Superstitiosorum pœnæ.

Qui post discessionem a catholica Ecclesia, de peccato suo vere dolens ad illam redit, penitentiam agat decem annis, quibus expletis ad communionem admittatur (*Pœnit. Rom. tit. 30. c. 4.*).

Qui dæmoni immolaverit, decem annis penitentiam agat (*ibid. c. 9.*).

Qui Ethnicorum more elementa coluit, aut superstitiosa signa observavit, vel in serendis arboribus, vel in domibus ædificandis, vel in seminandis frugibus, vel in contrahendo conjugio, duobus annis penitentiam agat legitimis feriis, idest secunda, quarta, & sexta (*ibid. l. 14.*).



Qui cum Judæo cibum sumpsit, decem diebus pane & aqua jejuner (*Conc. Elib. c. 53.*).

Qui incantationes diabolicasque divinationes peregit, septem annis pœnitentiam agat (*Pœnit. Rom. c. 26.*).

Mulier sortilega per annum pœnitentiam aget, aut juxta alium canonem annis septem (*ibid. t. 6. c. 2.*).

Qui cum incantationis verbis medicas herbas collegerit, viginti diebus pœnitentiam agat (*Ivo Cornot. part. 12. c. 36.*).

Qui Magos consulit, aut domum suam lestrat, ut aliquid arte magica sciat, quinque annis pœnitentiam agat (*Pœnit. Rom. tit. 6. c. 5.*).

Qui domum suam magicis cantionibus purgat, aut quid simile agit, vel fieri permittit, aut consulit, quinque annis pœnitentiam agat (*ibid. c. 11.*).

Qui in aliorum agros tempestatem excierit, septem annis pœnitentiam agat, quorum tribus pane & aqua jejunabit (*Conc. Ancyr. c. 23.*).

Qui magicis artibus fidem adhibuerit, aut iisdem participaverit, legitimis feriis per annum jejunabit (*Pœnit. Rom. tit. 6.*).

Qui fascinationem verbis exercuerit, tribus Quadragesimis pane & aqua jejunabit, ante videlicet Nativitatem Domini, ante ejusdem Resurrectionem, & per tredecim dies ante Nativitatem sancti Joannis Baptistæ (*Pœnit. Beati c. 1.*).

Qui futurorum sortem in libris aut tabellis quæsierit, quadraginta diebus pœnitentiam agat (*Ivo part. 11. c. 24.*).



*Simonie notio, & divisio traditur. 501*

Qui superstitiosis instrumentis res perditas  
requirit, duobus annis pœnitentiam aget  
(*Pœnit. Rom. tit. 6. cap. 7.*).

Qui aliquid manducabit, aut biber, aut se-  
cum feret, ut Dei judicia impediat aut evertat,  
pœnitentiam aget ut magus (*ibid. c. 6.*).

SECTIO VI.

DE  
SIMONIA.

CAPUT I.

*Simonie notio, & divisio traditur.*

Mare magnum ingredimur, ubi plerique ab-  
sorpti sunt, scientes nonnulli ac volentes,  
ignorantes alii. Hoc semper malo vexata est  
Ecclesia; & sub primâ & secunda Regum nostro-  
rum stirpe Gallica præsertim Ecclesia hoc morbo  
afflicta est. Ut malo huic remedium afferreret  
sanctus Gregorius magnus plures ad Galliæ Re-  
ges, & ad Brunichildam Reginam litteras dedit;  
pluresque Synodos coegere Episcopi, ut hanc  
pestem averterent. Nostro hoc ævo vix hic  
morbus se prodit. Verum nonnulla sophismata  
recentiores Casuistæ excogitarunt, ut Simonie  
timorem omnem eliminarent; & si illorum ad-  
mittatur doctrina, nulla jam Simonia committi  
potest, adeo multa reperere, ut Dignitatum &